

3045

LITURGICI

3046

DCCCXXXIV.

³⁶ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 118. f. max. eodem modo, ut superior, scriptus *Missas* VI. continet his rubricis: *Missa de almania. Jo. mouton. Missa sanctorum meritis Anto. Feuyn. Missa ad placitum Antonius Feuyn. Matburin forestier. Missa ad placitum. Missa supra Salve regina.*

DCCCXXXV.

³⁷ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 135. f. max. eodem, ut superiores, cultu exhibet *Missas* VI. sic inscriptas: *Missa super lbomme arme. Jos. despres. Missa Lbomme arme Josquin. Missa Gaudeamus Ockeghem. Missa Fortuna desperata Josquin. Missa La sol fa re my Josquin. Missa Lamy baudechon.* His accedit *Symbolum Apostolorum* bis ab eodem *Josquino des Pres* numeris musicis variatum. *Josquinum* sive *Jodocum de Prato* Belgam, Joh. *Mouton* Francisci I. Galliae Regis Choragum, *Antonium Fevinum* Aurelianensem, et Joh. *Ockenheim* Belgam aevo suo plurimum inclaruisse norunt *Murfurgiae* literatores, cuperentque in *Indicem* Autorum receptos fuisse, quem *J. B. Martinus* Operi suo *Storia della Musica. in Bologna* 1757. f. adtexuit. Nec dubitamus, sinceros Artis hujus divinae Cultores vel hodie ex accurata Codicum nostrorum inspectione operae pretium laturos.

DCCCXXXVI.

Codex chartaceus musicus Sec. ²⁸¹ XVI. Folior. 325. f. completitur XXVIII. sic dictas *Missas* 4. *vocum* et Hymnum *Regina Coeli laetare.* Modulos hosce in *Belgio* potissimum compositos fuisse docet *Missas* penultima: *Fioruit egregius Livinus* &c. docent item Nomina Autorum quibusdam *Missis* adscripta, puta: *Josquin, Verbonet, Jac. Obrecht, Hier. Winters, Aman. Faber, Job. Prior, Henr. Seuerdonck, Barberian, Henr. Isaack, Nic. Carlier, Job. Notens, Job. Stichels.* Profanas saepe Cantiones thema sacris ministrasse, argumento sunt *Missae: Malheur me bat. Lomme arme. Depuis qu'une Jესne (jeune) Fille. Waer ist die aller Liefste mein. Noch wes ich ein so scoen Funckb-fraw fein* &c. Antiquioris *Murfurgiae* Curiosis non ingrata fortasse *Collectio.*

DCCCXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. ²⁰ XVI. Folior. 37. f. max. hoc Titulo thecae exterius adscripto: *Missas sex Vocum super o Passi Sparsi composita ab Antonio Scandello Illustrissimi Principis Electoris Saxoniae Capellae Magistro.* Hominem hunc Italum sub *Mauritio* et *Augusto* Electoribus chori musici aulici Praefectum *Dresdae* meruisse, ibique 1580. diem suum obiisse ex *J. Andr. Gleichii Dresdnischer Reformation - und Hofpredigerhistorie* docet *Lexicon*

3047

C O D I C E S

3048

con Univ. germ. T. XXXIV. ubi et reliqua ejus Opera musica enumerantur. Nostrum in alterius cujusdam Aulae usum elaboratum fuisse evincunt Sacra *Dresdae* ea tempestate jam mutata. In *Petrarchae* Poemation (*Sonetto*) quod incipit: *O Passi sparsi, o pensieri uaghi e pronti &c.* Cantum quendam tunc celebrem compositum fuisse, cujus thema *Scandellus* hic persecutus fuerit, conjicio.

DCCCXXXVIII.

- 2 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 71. Fol. max. splendide exaratus, literis initialibus xylographicis impressis, magnam partem miniatis et SS. imagines referentibus ornatus, et e *Fuggeriana* in Caesaream Bibliothecam, ut videtur, translatus hoc titulo: *Officium Misse Nuptiale Illustri et Generoso Domino, D. Octaviano Secundo Fuggero, Baroni in Kyrchberg et Weissenborn, a Fratre Joanne Tornario SS. Vdalrici et Affre Conuentus Monacho, gratulationis ergo scriptum et dedicatum. 1579.* Celebraverat *Octavianus Rudolpho II.* a consil. et urbis *Augustanae* Praefectus nuptias cum *Maria Jacobe Johannis Fuggeri* filia, ad quas illustrandas *Musurgi* sequentes conspiravere: *Introitus. Deus Israel conjungat vos. Quinque vocum. Auth: Jacobo de Kerle.* Folior. 6. *Missa quatuor Vocum auth: Orlando di Lasso.* Folior. 30. *Nuptiae factae sunt &c. Sex Vocum Authore Orlando di Lasso.*

Folior. 17. *Domine deus patrum nostrorum. Sex Vocum Authore Melchiore Schrammio.* Folior. 15. Maximam hos inter famam adeptus est *Orlandus di Lasso* seculi sui *Orpheus* dictus, qui peragrata *Italia, Anglia* et *Gallia* tandem choro Musicorum *Alberti Ducis Bav.* praefectus *Monachii* obiit 1593. V. *Foppens Bibl. Belg. T. II.* p. 934. De artis musicae Augustae Vind. ea aetate fortuna confer *Pauli a Stetten jun. Kunst-Gewerb- und Handwerksgecb. der Reichsstadt Augsb. ibid. 1779.* p. 521. 8.

DCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 9 XVII. Folior. 18. f. max. continet Psalmum Davidis quinquagesimum, qui incipit: *Miserere mei Deus &c.* musicis modis a *D. Ferdinando III.* Rom. Imp. adstrictum, eidemque a *Georgio Moser* calligrapho musico, seu, ut ipse se vocat, *Notista* oblatum, praetexta inscriptione et festiva hujus modi epistola: *Psalmus Miserere ab Auditoribus Augustis Davide Rege Israelis, & Ferdinando Tertio Imperatore Magno Deo decantatus. Miserere, canitur in Quadragesima, Auguste Caesar. Ego illud nunc affero pronus ad genua aduentantis M.^{tis} V.^{rae}; quia nisi venisset M.^{tas} V.^{ra}, Ego Quadragesimam, ante Quadragesimam habuissem. Nunc me ut spero, Miserere hoc a Quadragesima liberabit. Omnes Versus in hoc psalmo, summorum Musicorum venerabundo*